



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Amicus Amico Authori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

A M I C U S
A M I C O A U T H O R I.

In Authoris nomen utrumque, sæculi *Crespini*,
& Carmeliticæ Professionis *Bonæ Spei*,

L V S I O.



*R*ô, quanta *V*ati habenda *Peligno* est fides!
Ut exprimendis nomen hoc rebus facit!
FRANCISCÆ binæ *Palladis* madens mero,
Solers docendi, illustris ingenii sagax;
Lucina seu te voce *Crespinum* rudi,
Meliore dici sive *Crispinum* jubet,
Seu te *Spei Carmelus* agnosci *Bonæ*
Decrevit: oritur ampla de tenui seges.
Etenim (*Quiritium* audere nî vetet lepor)
Dicere crescens pinus, & *crispum* polo
Inserere fronde, nuceque redimitum caput.
Natura frondem, *Sophia* (quam colis) nucem,
Hæc educatrix, ista progenitrix, dabunt.
Sed artis apage barbaræ ludum. juvat
Auguria sacri nominis nugis procul
Captare, teque jam *Bonæ saturum Spei*,
Miscere senibus, tusse, qui doctâ suum
Tellure totâ differunt semen, ferax
Centuplice fructu: sive *Pythagoræ* adlubet,
Seu te *Stagirâ* suscitât nati calor,
Platona sive sapere divinum voles.
Utrumque: magnum nomen hæc noctes tibi
Parient. Sed ista fallat agricolam seges.
Nam Spem Bonam pervertet optimâ Fide.

D I S T I C H O N.

*S*PES Bona *Crespini* mutavit nomen in omen,
Quàm Bona Spes fuerit, res bona testis erit.